



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Pacis Westphalicæ Publica

Oder Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte

Worinnen enthalten, was vom Monath April, biß zu Ende des Jahrs 1646.
zwischen Jhro Römisch-Kayserlichen Majestät, dann den Beyden Cronen
Franckreich und Schweden, ingleichen des Heiligen Römischen Reichs
Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen, zu Oßnabrück und Münster gehandelt
worden

Meiern, Johann Gottfried von

Hannover, 1735

VD18 90103122

Epistolæ Arcanæ Internum Negotii Pacificatorii Monasterio-Osnabrugensis
Statum Exponentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52163)

EPISTOLÆ ARCANÆ
INTERNUM NEGOTII PACIFICATORII
MONASTERIO-OSNABRUGENSIS
STATUM EXPONENTES.

EPISTOLA I.

SCIPIONI SCALIGERO EQUITI S. R.

Reditæ mihi sunt in iter, quod à Principe in junctum erat, intento, binæ tuæ literæ unius argumenti, nam præterquam, quod silentium meum accusabant, nihil erat, quod responsum requirere posset. Itaque quoniam non verbis intermissum scribendi officium excusare, sed factò ipso satisfacere animus erat, distuli rescribere, donec digna te materia se offerret. Ne igitur ultra de silentio meo juste conqueri possis, pro duobus, quæ tibi debeo, epistolis en prægrandes literas, quæ tamen prolixitatis tedium aliqua cognitione earum, quæ in hac omnium prope Europæ Nationum celebritate aguntur, rerum, quæque variis ac plerumque contrariis rumufculis, adeoque multum ex vano aut falso trahentibus, disseminantur, levare poterunt.

Neque tamen à me rerum hic gestarum seriem & quosdam quasi Annales expectabis, quorum loco publicatorum Actorum Commentarii esse tibi poterunt, sed, quod præcipuum est, ingenium Comitiorum, animorum habitum, fines, consilia, commoda, vota, spes metusque secretos magis quam professos. Quanquam enim sine tribu atque sine suffragii jure hic agam, tamen ut in magno mercatu liberrima curiositate, si non emere, tamen inspicere rimarique cuncta licet: postquam in complures Legatorum incidi, quibuscum verus mihi necessitudo erat, quorum dicta cum factis, aperta operis haut perfunctoriâ curâ contuli.

Igitur ut, unde Bellum cepit, ego quoque ordiar, quæ de *Austriacæ Domus* ambitione, deque imminutis Imperii Juribus, de constuprata libertate, de calcatis legibus, & violatâ præsertim Pace, quæ Religioni superiorum Cæsarium cum Ordinibus conventionem pacta fuerat, olim vulgari licentia, Declamatio facta erant; ea in hac panegyri eadem libertate, sed majori modestia & tanquam remedium petentes Protestantes omnium maxime urgent. Vulgata sunt *Gravaminum* titulo, eoque tibi talium gnaro minime hic ingenda. Optabant sane Proceres, ubi malum erat, inde remedium incipi. Idem Reges exteri volebant, aut velle simulabant, ideque variis hinc inde libellis ea controversia agitari capta est. Verum postquam Cæsareani subito consilium mutavere, externam vim domesticis querimoniis sibi gravio-rem, eoque promptiori opera submovendam existimantes; inde idem mihi quoque tenendus est ordo. Ut primum à *Gallis Suecisque* operæ Germaniæ collatæ tanta pretia efflagitari, vulgo innotuit, Cæsaremque postulatam haut adversum: mirum est, quanta judiciorum acerbitate illorum cupiditatem & hujus facilitatem (utendum mihi est iisdem, quibus illi, rerum vocabulis) plerique traduxerint; unde tam subita mutatio? inter se quærebant, ut qui hætenus pro libertatis Germaniæ restitutione arma induisse, illorumque commoda aliis, sibi decustantum atque gloriam quæsisse, professi essent,

nunc

nunc tanquam aliâ in scenâ, Urbes, Præfecturas, Provincias, tanquam devictæ Germaniæ spolia, inter se dividant? Iniquam & neque præsentibus neque posteris unquam probandam fore de alieno largitionem. Quid enim Tirolenses Principes, quid Electorem Brandenburgicum, quid Mechelburgi Ducem, præ cæteris peccasse, ut illorum patrimonii, exterorum ambitioni atque avaritiæ litandum sit? Certe, si navis levandæ causâ, hoc est, pro communi salute jactus faciendus sit ex lege Rhodiâ, communem omnibus jacturam esse debere; Prophanæ maxime atque impiæ novitatis esse, quod Sueci Bremensem Verdensemque Episcopatus Deo dicatos à Majoribus, sane Christianis, ab omni Religionis & divini cultus vinculo liberos, sibi adferant; quod denique Hassiæ Landgravia, magnorum nominum societate superba, post tot illata vicinis damna, postque tantas ex tributis congestas opes, non contenta iis, quæ juris & æqui specie à Darmstadiensis repetit, omnem etiam ditionem Paderbornensem, Colonienfis, Moguntinenfis, Monasterienfis & Mindani Episcopatum ac Abbatia Fuldenfis plurimas Præfecturas profanandas sibi deposcat. At non eò loci adhuc Germanicam rem esse, ut nulla, nisi in damnosa turpique Pace spes supersit. Esse suum Gallo, esse Sueco peculiarem hostem. Galliam præterea, infidi maris instar, intempertivis motibus perpetuo æstuantem parturire, quæ superiorum temporum, ferialium factionum, nominibus insignium, infelicitatem superent. Populum exactionibus, Nobilitatem continuis expeditionum damnis, Ordinem Ecclesiasticum insolitis tributis, & illato Pontifici bello, Parlamenta imminutis aut abolitis libertatibus exasperatos. Partes & factiones esse, mox, ubi caput aderit, fore bellum. In Rege septenni & Regina Austriaci sanguinis nihil autoritatis. Cardinalem externum & exosum Gallis, precarium Regnum exercere, non ultra valiturum, quam Principum ut cui ingenium est, prodigaliter, avaritiam, ambitionem satiari poterit. Et minui Gallis potentiam inde constare, quod minus quam mediocres vires hoc & superiori anno, bello Germanico impenderint, & præcipuum exercitus robur, Viniarientes, cladibus & licentia consumptos. Cæterum imbellem plerumque & Germanicis viribus inasuetam turbam nec cæli solique genium, nec belli laborem perferre, & solo Germanorum sanguine hæctenus Germanos victos. Contra superesse legiones, exercitus, fidas provincias, amicos & præcipue Fœdus Catholicum, longo bello materiam. Postremo non hanc pacem esse, sed servitutem, non Imperii restitutionem sed dilacerationem, non hostibus arma adimi, sed ad majora gradum sterni, & nova promovendæ dominationis instrumenta ab incautis Germanis præberi. Nam quem adeo fungum esse, ut Suecos Pomerania, ac Balthici maris claustris infestis, quieturos credat? ut Gallos post tot captas arces atque oppida, postque tot fluminibus injectos compedes & transitus occupatos, in Alsatia substitutos speret? Nimirum sive Pax inter Germanos coalescat, sive bello nondum finem fata præfixerint, illud ex libertate inevitabile vitium, eamque populis in varios Principes divisam labem esse, alienâ stultitia sapienter abuti, & ab una discedentium parte accitum adversum omnes valescere.

In hunc sensum itum est à Comite TRAUTMANSDOEFFIO, qui novis ab Aula Viennensi mandatis instructus, reliquis Legatis Cæsareis supervenerat. Uti que conveniens erat, postquam Galli & Sueci libertatem Germaniæ & Jura Ordinum armis suis prætendebant, ad radicem mali bellorumque semina animos atque consilia adjicere, eaque ab aliquot annis, quamdiu Procerum inter se cum Cæsare conciliandorum, atque eadem operâ subtrahendorum inimicis auxiliorum spes erat, præcipua Cæsareanis cura fuit. Et huc Pacis Pragensis & Amnestiæ toties promissæ, toties dilata, ac demum difficillimo partu prognatæ irritamenta spectabant. Et profecto sperandum erat, ut qui per dissensiones nostras inualescunt, qui furore nostro pro satellite cupiditatum suarum abutuntur, qui denique dementiam nostram videntes, non prætextu modo armorum, sed viribus ac potentia, ut in sicco deprehensus pi-

icis

scis, destituantur: Quem in sensum non ineleganter quidam nuper dixit, concordiam Germaniæ servitutem imponere, nec hujus fœderis, nec hujus seculi rem esse. At postquam irrita spes fuere, nec umbra Pacis aut ludibrio acquiescere volebant, qui solidam firmamque expectabant: invertendum sibi stylum atque consilia Cæsaris Ministri duxerunt; itaque contraria prioribus arte usi, Alsatia cessione Gallos, Pomeraniâ Suecos sibi placandos statuerunt; spe ducti, ubi illorum desiderii satisfactum erit, abjecturos speciosum defendendæ Germaniæ libertatis colorem sterilemque gloriam, & Ordines Imperii auxilio nudatos denuo Cæsaris arbitrio relinquendos. Vix dici potest, quantum Comes Trautmansdorffius hoc invento sibi placuerit. Vix ab Aula Monasterium venerat, jam omnes pene priusquam ipsi Galli Sueci-que hujus secreti participes erant, iam pacem pro confecta nec ultra trimestre differendam publicabant. Fama est, istam tam subitam liberalitatem Bavarum consilio provenisse, non sane magnam in eo jacturam esse demonstrantis, si Alsatia cessione de summa rerum transigatur. Nihil ex reliquis ditionibus Austriacis delibari, & si Würtembergiæ Duci ereptarum ditionum possessio Austriacis servetur, abunde damnis satisfactum; Fructus quoque Alsatia & Suntgoviæ usuris immensi æris alieni solvendi vix sufficere; Id æs alienum cum Provincia in Gallos transferendum; Jam quantum illud esse, quod Lutherani Austriacis ditionibus perpetuo excludantur? cumque gladio tantum asserta Bohemici Regni successio, esse fas ut Domui Austriacæ concedatur. Bavarum beneficio, affinitate, & quod plurimum valet, necessitate Austriacis innexum; Catholicos innato in hæreticos odio metuque, nullam nisi Austriacam amicitiam scire, nullum præterquam in Austriacis præsidium habere; Hæreticorum ferocissimos per bellum absumptos, cæteros veteri novoque ære alieno, tributis, bello exhaustos, omni rerum gerendarum nervo destitui; Illo rerum statu spem quoque recuperandi Alsatiam superesse; Lites cum vicinis de finibus regundis, de jurisdictione, ut inter accolæ solet, Aulæ Gallicæ turbas, Regni motus occasiones fore rebus novandis; Prope Imperii & Cæsaris arma: ac parum deesse, quin quatuor Villarum Sylvaticarum restitutione Brisacum velut obsideatur; denique motis semel in Gallia rebus, externa pro derelictis fore. Quæ quidem etsi non de nihilo dicta erant, tamen serò falsam se opinionis, atque avidius, quam consultius rem à se promotam advertit Comes. Nam neque Regibus oblata satisfaciebant: & ipsi sine compositione illorum, quæ inter Ordines & cum Imperatore controversa erant, arma nunquam seposituros protestati sunt. Inde quidem facti poenitentia subiit animos, sed sera: non ausis apertè retractare, quæ tam liberaliter concessa, & ut Galli quidem loquuntur, obrusa fuerant. Ered quæ rescindi apte nequibant, adjectis conditionum modorumque tanquam subintellectorum limitibus, exitum invenire non possunt. Alsatiam se concessisse ajunt, sed nondum convenisse de ære alieno exsolvendo, deque summa, quam compensandæ concessæ Alsatia sanè prægrandem postulant. Cognatorum Principum Tirolensium, sed & Hispaniarum Regis, cui Alsatiarum ditionum successio olim contingere possit, consensum huic alienationi necessarium: Non autem consensurum Hispanum, nisi & ipse Pace comprehendatur. Carolum quoque Lotharingiæ Ducem restituendum.

Teneri præterea Gallos (idque Cæsari tanquam exprobrantes fidemque reposcentes objectant) Bavarum in Electorali dignitate defendere, atque providere, ne Protestantes sibi ablata ultra annum cis 10c xxvii. repetant. Quæ universim ac singula ita proponunt Cæsarii, ut sine iis, tanquam deficiente conditione, Pacem confici minime posse assererent. Præter facti poenitentiam, aliæ præterea secretiores causæ subsunt corrigendæ inconsultæ liberalitatis. Nam ex quo Gallos iterum ad Orbitellum fugatos, eorumque res haud ita prosperas in Hispania, eadem eis paucos dies fama attulit; jam à metu ad spem

Cæsarii Hispanique transeunt: Et non salutem modo suis partibus, sed ab hoc victoriæ initio rediturum fortunæ favorem sibi promittere audent. Auctoritatem scilicet Regii in Gallia Consilii solis felicitum consiliorum eventis substituisse: quibus semel interruptis iam dissidia exoritura, aliorum aliis improspere imputantium atque omnia inde in deterius prona. Accedit, quod ex Ordinum concordia, quam omni nisu promovere student, auctoritatem, potentiam, decus Imperii rediturum, hostibusque ludibrium & immoderatorum postulatorum audaciam imminutum iri credunt. Sed præcipua ex eo spes, quod Batavorum cum Hispano ab aliquot mensibus tractatæ induciæ ad exitum spectare dicantur. Nempe illis Gallicæ potentæ viciniam & à Suecis rotæ portus infessos, affectatumque maris Balthici dominium omnibus Hispaniarum Indiarumque opibus formidolosiora atque exosiora esse. Interea dum quisque rerum exitus speculatur, iisque intentus est momentis, quibus conditionem suam meliorem fieri posse autumat, conticescunt omnia: & quæ hinc inde Pacis leges dictatæ erant, prout fortuna se dabit, moderationem vel intentionem recipient. Convenerunt hoc ipso die, quo hæc scribo, in pago Lengerich, medio inter Monasterium & Osnabrugam itinere, Protestantium delecti inter se deliberaturi, quas ultimum Catholicis concordia leges proponent. Nam & illud scias oportet, Illustrissime Scaliger, non tantum Cæsari cum exteris, Catholicis cum Protestantibus rem esse; sed & hos, inter se opinionibus scissos, dissidiis & factionibus laborare, ut vel Cæsare ipso (mirum dictum) hortatore opus habeant, ne commodis suis ipsi adversari velint. Ita quibus paulo ante difficillimum erat, consultare, & qui, dum deliberabant, deseruisse per illorum temporum ingenium censebantur, nunc non contenti de Republica libere arbitrari, atque in suffragia ire, libertati deesse aliquid credunt, nisi & inter se dissentire liceat. Præbuere rixarum initia Electorum Legati, *Excellentiæ* honorem atque appellationem à cæteris sibi deferri vehementius efflagitantes, quam aut loco aut rei conveniebat; idque vocabulum, ut veteri mori adversum, & tanquam Dominos inde, hinc famulos arguens, Parthorum Regno, quam Germanorum libertati convenientius esse dicebant. Quanquam autem his in medio indefinita remansit, tamen illa hinc sibi tribuentium, inde negantium illos honores titulosque, contestatio multum de necessaria animorum in commune bonum conspiratione detraxit. Unde illud quoque consecutum est, ut Saxonis, & Brandenburgici Legati in commune cum cæteris Principibus Protestantibus minime consulant, sed veluti omnium arbitri separati agant, & codicillis ad cæteros missis, Dominorum suorum iussa insinuent. Læto, sine dubio, his controversiis, Cæsare, qui sub Comitiorum initio, cum vetera jurarepeterent Ordines, nec quicquam nisi suo arbitratu consensuque incipi gerique vellent, assensus est, nisi in iis, quæ singulari prærogativa ad Electorum Collegium pertinerent; Illorum imitatus Principum exempla, qui plurium imperium iuxta libertatem, paucorum dominationem Regiæ libidini propiorem existimarunt. Surrepsit aliud malum, ut Inferiores (uti vocant) Circuli, quamquam ejusdem navis vectores, & ejusdem naufragii periculo expositi, quia tamen armorum Catholicorum strepitum non nisi ex longinquo audiunt, propriis viribus ac Suecorum vicinia præfidentes, se jungere suam ab aliorum causa, nullam alieni periculi rationem habere, proprium sibi, & à Spirensi, & Aulico Viennensi plane distinctum Tribunal meditari cœperunt. Denique supersunt vetera factionum odiorumque nomina, *Calviniani* & *Lutherani*, quorum illi hætenus à Pacis Religioni datæ beneficiis exclusi, non contenti sunt, admitti in communionem securitatis publicæ, nisi mutandæ in ditione suæ Religionis, cogendorumque subjectorum jure, Catholicorum & Augustanæ Confessionis sociorum exemplo, fruantur. Ex his igitur dissidiorum initiis Protestantes in tres sectas factionesque abierunt: quarum prima illorum est, qui declamatoria vehementia, & instar futura præcinentium va-

tum

tum cæstro rapti, hoc illud esse tempus, nunquam profecto, rediturum affirmant, quo firmari, sublata æmula, Reformatam Religionem in fatis sit; eam felicitatem à Deo nobis monstrari; illius Ministræ & Conciliaricem Sueciam fore; à nobis non aliud requiri, quam ut offerenti se fortunæ situm pandere, & aurea sæcula secum ferentem admittere velimus; Id divinæ gloriæ studium, id conscientiam nostram & posterorum curam exposcere. Porro an quicquam æquius, quam redhostiri Catholicis, quæ ipsi Protestantibus intentabant? Addunt quidam propria ira infensi, Aulæ Viennensis Ministrorumque Cæsaris arrogantiam, difficiles congressus, gratiam aut fastus janitorum æque intolerandos, & cætera magnorum Principum palatiis objectari solita, quæ vel hac occasione, hocce pacto vindicari in solatii parte futurum.

Atque isti sunt, qui Religionum libertatem in Austriacis ditionibus vel subaliis Principibus Catholicis degentibus Bohemis, eligendi jus, & Ecclesiasticis Proceribus ducendæ uxoris, mutandæ reformandæque religionis facultatem adferunt, eosque ab Oxenstirnio & Salvio in istam, si liceat, ut ita dicam, consiliorum durtitiam roborari constans plerumque opinio est; fiduciæ tam magna obrinendi, an quia bellum, quocumque successu gestum, sibi utile arbitrantur, haud facile dixerim.

Verum his alii contradicunt, quibus hætenus ultioni consulendum placet, ne Imperii leges, fidesque publica violetur. Impia arma esse, quæ alteram Imperio manum amputent. Ex Catholicis & Protestantibus constare magnum illud corpus. Pacem utrique Religioni, Imperatoris atque Ordinum Senatus Consilio datam, quæ sine scelere non modo non infringi, sed nec attemptari possit. Humanius esse credere veroque propius, nec Cæsarem nec Catholicos Principes, abrogata de Pace Religionis Constitutione, Lutheranorum exilium quaesivisse: & quæ in contrarium disputata superioribus annis sunt, morbum haud se retinentium ingeniorum & scholasticorum *πελοπερωμοσιν* fuisse; Neque hodie tam iniquis atque indomitis necessitatibus circumscriptos nos esse, ut idcirca priores injuriam facere debeamus; quia nisi fecerimus, pati possimus. Et hi tanquam mediam viam secuti, concordiam cum Catholicis suadeant quidem necessariam, sed mora & trahendi artibus opimiores adhuc eliciendas condiciones.

Tertii neque ista moderatione contenti, abrumpendas omnes moras, clamant: unicam in præcipitii crepidine stantibus ex Pace salutem: Valedicendum spei & fortunæ: & speciosis tuta præferenda; Facile esse, magnum animum induere procul à Cæsaris & Catholicorum armis ad Albim & Visurgim sedentibus, propriaque & finitimorum potentia prævalidis, & ubi quid hostile ingruisset, Suecorum ex proximo auxiliis tutis; Vim Cæsaris ac Catholicam potentiam proximis ingruere, ab his tributa atque annonas exigi, hos hybernis premi, ne hiscere quidem ausos; Procul Sueciam, & quid Suecos, mari aut tot fluminibus divisos, conferre posse, in media Germania ad Rhenum, Danubium aut Nicrotum degentibus? Nam quod eo Suecicorum armorum terror aut fama penetravit, perexigui temporis fuisse gloriam, documentum imposterum, nihil ad belli summam facere, longinquis itineribus percurrere, quæ obtineri nequeant, neque quicquam tutius, quam repurantes infirmitatem suam, bellantibus aliis, expectare belli exitum; Et falli omnino, qui cum sibi rerum statum periculosissima credulitate fingunt, tanquam plane debellata, & conclamata esset fortuna Cæsaris, desperata res Catholica, & omnia prona Gallis Suecisque victoribus, & hinc & inde magnos Exercitus, ingentes vires & novis supplementis inexhaustam materiam. Quod si igitur fortuna belli variet? quid si magno aliquo prælio Cæsar vincat, hostes

cantur? Quid si Francia internis fluctibus intumescat, & proprio malo intenta, aliena omittere cogatur? Quid si Polonus, Moscus, Danus in Suecia viscera bellum revocent? Quem tunc fore statum Protestantium, omni externa propriaque ope destitutorum, post intima animorum tanta libertate in his Comitibus nudata? post irritatum Cæsarem, & offensos nimia postulatorum iniquitate, Catholicos? Profecto non ultra tempus fore, nova Comiticia indicendi, acceprandique quæ nunc adeo superbe rejiciantur: Sed de omnibus decreturum irati Cæsaris arbitrium, & unius voluntatem plus valituram quam omnia jura. Præterea fluxam exterorum fidem; Gallis insitum veteris Religionis studium, nec conscientia tantum, sed & famæ respectu à juvandis Protestantibus, quantum quidem ad Religionem attinet, prohiberi; Secretas cum Bavaro & Catholicis sponsones illorum finibus magis conducere; Superiorem Palatinatum & Electoriam dignitatem Bavaro promissam; Concessum Catholicis, quantum quidem in ipsis est, quicquid ante annum 1610. xxvii. Protestantibus ereptum, satis arguere, quo animo erga istas artes affecti sint. Mantuæ, Parma, Sabaudia Duces, Trevirum Electorem, Bipontinos, & Mombelgardæ Principes, Colmarienses, aliosque tutelam Gallicam expertos, semper meliorem fortunam, interdum fidem Gallorum desiderasse.

CLAUDIUM MESMIUM in secreto nuper cum TRAUTMANSDORFFIO colloquio (quanquam id inscientur Galli) affirmasse, etsi Bragantini & Cateleu-nensium causam salvam cupiat Rex, tamen per ipsum non staturum, quo minus in potestatem Hispani redigantur, modo amissa protectionis pretium, Cameracum aut Burgundiæ Comitatus reddatur.

Postremò vanum esse, sperare, Cæsarem ac Catholicos Reformata Religionis Exercitium publicum vel privatum, aut qui illam profitentur, unquam toleraturos, quos ut ejicerent difficillimo se bello implicari non sint veriti. Exceptam nuper Trautmansdorffii vocem ad Oxenstirnum, magnis execrationibus caput suum devoventis, si unquam Cæsar in suis ditionibus legem in negotio Religionis à quoquam sibi dici patiatur. Et quem nisi plane emota mentis persuaserunt, Catholicos in Reservati, ut vocant, Ecclesiastici abrogationem consensuros esse, quo facto Catholica Religionis jugulum peti, & ab hinc C. Annis nullos superfuturos Catholicos Episcopatus minime dubitare possunt; Quare eo potius rem deduci necesse esse, ut Catholici Protestantium pertinencia in desperationem impulsis, ubi in Austriaca Domo nihil opis ac præsidii superesse intellexerint, externa quoque auxilia circumspicientes, Gallia Regem Ecclesiæ patronum, Bavaro Consiliatore adiscant. Nec defuturum vocantibus Gallum, seu revera Religionis periculo motum, cui excidium intentari ex artificose apud se traductis Protestantium consiliis crederet, seu speciosum titulum ad alia quoque valiturum existimabit. Quippe nullo validius gladio Austriacæ potentia nervos incidi, quam subtractis, alioque deductis Catholicorum viribus. Eâ prærogativa viam ad ulteriora aperiri. Litium se arbitrum fore, sed armatum, & inter dissidentes imperii proferendi occasiones quotidie nasci. Tum peregrinitatis injuriam, qua prope sola hætenus à Cæsarea Dignitatis petitione sub-moti sint Gallia Reges, aboleri: Denique in ipsos Svecos, si quando insolerent, valitura hæc fœdera. Bavarum quoque, utut fidum affinis Austriacis, eorumque consiliis ac fortunæ innexum, tamen ubi necessum erit, damnis suis omnes alios respectus posthabiturum. Quin imo ab hac amicitia haut paulo plus, quam solam salutem sperare: eaque usurum non amplius depellendo periculo, sed in spem potentia. Nam præter averruncatum à Religione periculum inque ordinem redactos Lutheranos, ac horum Patronos Svecos, Electorii honoris & totius Palatinatus Superioris possessionem sibi firmari: & si Imperator extra Domum Austriacam quaerendus,

dus, quam aliam in Imperio familiam esse, quæ Cæsarii culminis nomen, splendorem, onere sustinere possit, quam Bavaricam? Ceteros Catholicos, Bavari consilia sequi solitos, vitato periculo & Bonorum Ecclesiasticorum incremento auctos, operiri futura & præsentibus frui, pro solatio habituros. Nam Gallica amicitia constanter aut secus usuros, prout conducet, & aliorum temporum alia consilia fore. Inter hæc Protestantes à summa spe in extremam rerum omnium desperationem dejectos, à se, à Svecis derelictos, bello impares, pacem non nisi precariam habituros. Prævertendum igitur in ista commodorum damnorumque dubia æstimatione, in isto sperandi timendique confinio: & dum licet, æquis conditionibus cum Catholicis transigendum esse. Id quoque ad Pacis durationem præcipue valiturum; quam simul habituri bonam firmamque, si leges utrinque honestæ; inconstantem ac infirmam, si secus. Postremo horum quoque facilitatem superat Saxonæ Elector, qui ubique nimium existimat, quod ultra Pragensi Tractatu indulta petitur: satis a Catholicis concessum asserens, & iniquum aut intempestivum, tanta pertinacia supra contendere; cedendum, atque exteris armorum prætextum statim è manibus excutiendum, hortatur. His opinionum diffidiis imbuti, Protestantium animi hodie Lengeranæ conveniunt.

Deum immortalem præcor, ut ea illis consilia suggerat, quæ moderationi propiora, ad pacis confessionem viam sternere valeant. Nam id quidem animo meo certum atque indubitatum habeo, Ordinum concordiam, ad totius negotii exitum permultum conferre posse: Quicquid in illo Conventu decreturi sunt, proxime ad te perferibam. Interea vale, Illustrissime Scaliger, & me ama. Monasterii 17 Augusti 1606 XLVI.

EPISTOLA II.

SCIPIONI SCALIGERO S. P. D.

Spero Illustrissime Scaliger, literas, quas xvi. Calend. Septemb. ad te dedi, tibi reddidas: ex quibus, quo in statu sit negotium Pacis, quod à sesqui-anno hic tractatur, aliquatenus intelligere potuisti. Et quandoquidem in illa Austriacorum cum exteris, Catholicorum cum Protestantibus, & horum inter se multiplex dissensione nihil adhuc promotum, sed omnia quasi ineluctabilibus implicata difficultatibus sunt, inde sane perexiguam, aut potius nullam pacis conficiendæ spem superesse, concludendum videtur: Esse tamen, quæ Austriacis fiduciam, contra federatis Regibus, quanquam sollicitè degentibus, metum addere possint, quod priori Epistola leviter tetigi, nunc explicatius perferibendum est. Scripseram, eo ipso, quo meas ad te exarabam, die Protestantium inter se discordantium Delegatos Lengericæ convenisse. Convenerunt, deliberarunt, placuit aliquam multa de priori conditionum propositarum rigore remittere; Annus, à quo ablata restitui debent, quem Catholici hujus seculi vigesimum septimum, postea vigesimum quartum, Protestantes decimum octavum constituerant, nunc ad Vigesimalium Primum refigitur.

Bonorum Ecclesiasticorum possessio, eorum utique, quæ Imperio obnoxia sunt (Immediata vocant) ad C. annos restringitur. Reservati (quod appellant) Ecclesiastici abolitio, tantis olim studiis ac prope convitiis efflagitata, silentio transmittitur. Quam Religionis libertatem in Cæsaris patrimonio degentibus subditis, ut necessariam Paci conditionem proposuerant, eam libertatem nunc precibus tantum (sed quas rejiciendas non dubitant) à Cæsarea Majestate petunt. Hæc sane conditiones tales sunt, quæ, si nondum placere Catholicis possunt, tamen ulteriori negotiationi viam percludere

non

non debent. Nondum quidem hæc Pax est; sed ad summum enitentibus primo gradui insistere non nihil est. Et hæc prima Cæsareanis sperandi causa.

Quamquam ut hoc quoque addam, ego quidem - - - felicitati Germaniæ intercedere, turbasque armis suis cedere perrexerint, communi opera, junctisque armis pellendos. At in tantum adulto malo, adeo exhaustis Principum viribus, tot externæ potentæ munimentis, Exercitibus, Civitatibus, arcibus, statim cessuros, velut ad Edictum Prætoris, Gallos Svecosque, id vero ereditu difficillimum est. Bello haud dubiè atroci, ancipiti, & fortasse victoribus ac victis exitioso opus erit, ad exturbandos qui abire recusabunt. Et qui Henrici II, Galliæ Regis exemplo sententiam suam tumentur, vehementer profecto errant, temporum rerumque conditionem longe diversissimam minime reputantes. Pace quoque Pragensi, iisdem finibus, eadem spe constata, quid effectum, nisi ut implacabilius asperatis Exteris, & reliquis de diffidentia nihil remittentibus, valentius bella resurgerent? Porro amicis potius quam inimicis in futurum vicinis Regibus utamur, vel maxime ad pacis stabilimentum firmitatemque spectat. Quis enim facile credat, tantæ tamque singularis ac prope divinæ Cæsarem fore mansuetudinis, ut, si Comitibus, securitatem Rebellibus datam, deliberandi licentiam, pacem, denique omnia invito extorra ereptaque ceteri non meminissent, ipse obliviscatur. Quæ cautio, quis sponsor erit conventorum? Certe nisi ad externa fœdera regressum illi habeant, hic metuat, nulla pactorum, nisi in libidine Cæsaris, fides erit. Alterum Cæsareanæ fortunæ speique argumentum est, adversorum Gallicorum ad Orbitellum successus. Jam illud victoriarum inoffenso hæctenus cursu progressis, satis erat de fortuna conquerendimateriæ, Orbitellum non cepisse. At præterea casus fugatosque fuisse, tredecim majora tormenta amisisse, Hispani Consiliatoris beneficio salvum sibi abitum pepigisse, Hispanos omnes captivos sine lytro dimisisse, postremò Telamonis & Sancti Stephani portibus, atque adeo tota Hetruria cessisse; Ea verò nimia honoris atque famæ jactura est. Intendant hinc metum inde fiduciam, quæ ex Hispania & vicino Belgio nunciantur de Ilerdanæ obsidionis dubio eventu, & magno Gallorum numero ad Mardicum casu, quos inter plurimè ex primaria Nobilitate, tanquam vilissimus & facillimus sanguis. Sed invalescit magis magisque molestissima Gallis & ingratiissima fama, Batavis cum Hispano convenisse; Compertum habeo, Thulierium illum inter Danos atque Svecos paulò ante conciliatæ Pacis authorem, nuper Hagæ Comitibus in Senatu gravissima libertate conquestum, idque postridie scripto repetisse, quod contra pacta anni 1624. quibus constitutum erat, neque Gallos sine Belgis fœderatis, neque hos sine illis, sed utrosque simul pacis cum Hispano negotium tractaturos, Ordinum Legati Monasterii agentes non modò insciis Gallis colloquia & consilia miscuerint, sed etiam in unum & septuaginta articulos convenerint, quibus de omnibus partium controversiis transigebatur. Eos articulos à tribus ex Legatorum numero signatos, nullà planè sociorum factâ mentione. Adiciebat, Equitum Magistrum Guichium cum sex mille auxiliariis, uti convenerat, missum ab Ordinibus in exercitu delegatis rejectum monitumque, ut retrò cederet. Nec minus à bonafide alienum esse, quod naves ab Ordinibus promissæ, quibus Mardicæ obsidium promoveretur, nondum comparuerint. Quibus rebus effectum sit, ut inde difficilior cum Hispano negotiatio evaserit: hinc omne belli onus solis Gallis incumbat. Igitur sui muneris esse, quid animi, quidve consilii habeant, Ordines exactè scire, deque eo certiore facere Regem: Nolle tamen credere, homines tam sapientes, tamque Galliæ hæctenus amicos, dictum cujusdam, cujus nonnullæ in Republica partes, probaturos, jus fasque esse Batavis Gallos decipere, asserentis. Responsum est à senatu non statim, sed, ut dubitantes agnosceret, vigesimo tertio post die; de Guichio plane nihil; Na-
ves

ves initio missas, sed post tanquam non necessarias, & ut Lembos quosdam pyratricos persequerentur, stationem deseruisse, pacem cum Hispano tractatam, non conclusam: sine Fœderatorum consensu, nullam fore. Speciosa verbis, re inania! Et allatum quidem fuit paulo post, Gallorum copiis Batavum Exercitum auctum, & naves ad Mardicum comparuisse. Ipse quoque Princeps Auriacus quædam prope Antvverpam Castella occupavit, quæ tamen è vestigio ab Hispanis recepta sunt. Verum ista parum aut nihil Hispanos movent; Neque agere serio Auriacum credunt. Imitamenta belli esse, præter inanem armorum ostentationem nihil valitura; quibus tamen Gallico fœderi utcumque satisfiat. Quin imò ita inter ipsos Batavosque conventum ajunt, ut æstatis reliquum, inoffensa pacificatione inter arma transigere liceat.

Aliam Gallis tempestatem minantur Hispani ab adversa Britannia, quam quidem, quibus Batavorum Rempubliam incrementis Galliarum potentiarum terroribus agitatum, amicitiam ac fœdera cum Hispanis meditari asserunt, præterea in illud quoque secretum se penetrasse credunt, non esse sinceram omnique scrupulo carentem Fœderatorum amicitiam. Compertum sane habeo, Svecos, quod Galli, contra quam conventum erat, hujus æstatis exordio, auxiliis in tempore non submissis, ipsis omnem hostium paratum transmisissent, iniquissimo animo tulisse; Idque Oxenstirnum exprobare ausum: Eundemque Gallos induciarum cum hostibus mentionem injicientes, tamque exitiosa suadentes, repulisse. Et dum hi Catholicorum, illi Protestantium causam, per aperta per occulta fovent juvantque: ex aliorum jurgiis ipsi quoque mutuum incalescunt: atque ita, qui suspicionibus premuntur, vicissim suspiciantur: et dum timentur, timent. Denique musitatur, Aulam Gallicam intumescere, decumanis mox fluctibus agitandam.

Non sufficere ultra tot impensis Regnum. Cardinalem præterea occulto omnium Ordinum odio, & Italici Belli invidia flagrare. Quod si verum est, certe suis ipse consiliis & justæ nemesis id odium debet Cardinalis. Memini, cum Lutetia essem, paulo post Regis & Richelii mortem, omnes Librariorum tabernas acerbissimis in hunc, famosissimisque libellis plenas fuisse. Incentorem belli, tributorum auctorem, Regis Regnique perniciem sublatam, misera læticia sibi quisque gratulabantur. Ac sane si Regina, Mazarino, Principibusque tunc animus & consilium fuisset, bello etiam ubi ex voto procedit, luctuosissimo finem imponere, populumque tributis levare; sapientissime Richelii, odii publici victima objiciebatur, præteritorum illi malorum culpa, reparata contra pacis decore Regina adstructo. At vero postquam pace potius Bellum, & instare ceptis, urgere successus, & quod huic consequens est, continuare tributa, sine quibus bellum haberi nequit, visum est, inconsultum certò fuit permittere, in alio tanta licentia prædamnari, quod mox ipse facturus erat, tanto utique flagrantiorum periculo odiorum, quanto mitius Imperium sub novo Ministro sperabatur.

Si sub his furiis vapulant Galli; profectò neque Svecis desunt secreta curæ, quæ magnis illis, præfidentibusque animis aliquem futuri metum injicere possunt. Gallis magnitudinem suam invisam & suspectam, eoque incertam illorum amicitiam, atque ubi bellum durabit, in aperta forsitan olim odia desituram, haut ex vano suspicio est. Danus nuperis injuriis damnisque irritatus coacta Fœdera non diutius observabit, quam necessum erit. Tam variæ ac penè contrariæ actiones extremâ senectâ regna sua obeuntis, Batavos missa extra ordinem, nullis apertis causis, legatione demerentis, militem exauctorantis, & eodem tempore alium legentis, inquietos, magnisque motibus agitato spiritus produunt. Polonum ætate & morbis inva-

lidum, novæ uxoris nuptiis irretitum, contumaciter refragantibus Regni Proceribus, bellum in Turcam, quod præ se fert, moliri, vix ulla ratio est, quæ persuadeat: promptius credere est, obtentu Turcæ alia agitare. Et quidni Sveci suspecta habeant arma sibi ex veteribus novisque causis semper æmula? Cum Moscovia nuper sancita amicitia. Sed quæ securitas esse potest in Barbaro fidem utilitate metiri assveto? Brandenburgicum Electorem & quicquid Principum, liberorumque populorum mari Baltico prætenditur, ipsos denique Batavos Pomeraniæ restitutionem, per aperta per occulta moliri non ignorant. Hæc omnia sicut Cæsareanæ factioni læta, ita, quo magnæ spei plurimum metus admistum esset, factum est in prospero ad Francofurtum casu, quo Cætholicus Exercitus, quanquam viribus superior, castris immunitus, & omni copia affluens, eripi sibi arcem, comitatum, Mænum & Franconiam, pudendâ negligentia passus est; quam imprudentiam summas illarum partium difficultates consecuturas credi par est. Ego istud sapientissimo Summi Numinis consilio evenisse credo, ut ubique esset quod sperent, quodque vicissim timeant omnes, ideoque à fortuitis bellorum in tutum res suas subducere adlaborarent. Verum id tam cito vix continget, quin nobis

aliam decerpere ficum
atque alias tractare rosas

liceat. Vale Nobilissime & Sapientissime Scaliger, & me ama, Monasterii
3. Calend. Septembr.

EPISTOLA III.

SCIPIONI SCALIGERO S. P. D.

Ex quo postremas meas ad te dedi, duæ hic res minime omnium expectatæ provenerunt. Nam statim atque Protestantium Responsum ad Catholicorum Declarationem Cæsareanis traditum fuit (quod factum fuit VIII. Cal. Septemb.) Comes Trautmansdorffius ad veteres artes confugiens, denuo Gallos, novis conditionibus propositis, aggressus est; Et aliquando post idem Trautmansdorffius hic, Osnabrugæ Lambergius, Protestantibus ad se vocatis denunciârunt; adeo iniquum Catholicis visum illorum responsum, ut nisi prius immoderata refeceretur, nullus Tractationi locus superfit. Mirum sane erat, difficillimo & uti videbatur, alienissimo tempore, quo pessime res Catholica habebat, circumvento Catholico ad Francofurtum Exercitu, belloque in ipsa Baviaræ viscera promoti, Trautmansdorffium rei prospere conficiendæ fiduciam concepisse, et Catholicos nullis rerum suarum adversitatibus fractos, æquiores à Protestantibus concordia leges prope minitantes efflagitasse. Subibat omnium animos tacita cogitatio, unde suborta audentia? quæ spes? quæ pertinaciæ ratio, in præcipiti stantibus? sed plerorumque conjectura fuit, prævidisse Trautmansdorffium ardorem & fortunam Svecorum, aliquot mensium mora à Gallis tardatum, postquam sisti nequiverat, malignam illorum curam invidiamque minime effugituram. Eamque obrationem, hoc potissimum tempore denuo Pacis negotium proposuisse, quo prominere nimium Svecorum fortuna, atque adeo æmulationi paratior videbatur, Catholicis transigendi negotii haud dubia spes animos addebat: & factus mihi postea est, è Cæsaris Legatis haur postremus, Gallos Cæsareanis acriter exprobrare nimiam facilitatem; plus æquo Hereticis concessum, & iniqua postulantium audaciam constantia repellendam. Neque dubito adesse hortamenta secreta, Catholicis opem atque auxilium Regis Christianissimi magnifice promittentium. Sive

Sive ea ratio sive alia fuit resumpti negotii: non alias magis consultationibus inter se & cum Compositoribus vacaverunt Galli. Magnum sane diligentissima operæ argumentum est, quod VIII. Calend. Septemb. colloquia & consultationem à quartâ post meridiem hora, ad noctis usque medium, apud Pontificium Venetumque Oratorem traxerunt, & qui secuti sunt dies, eadem causâ transacti. Tandem publica fama fuit, convenisse Gallos cum Cæsareanis, & propediem Osnabrugam ituros, ut cum Svecis res quoque componantur.

Observatum est ab harum rerum curiosis, hætenus non nisi unum alterumve, reliquorum nomine, quicquid officii erat, apud Svecos explevisse. At ista vice omnes ire voluerunt; Venerunt Osnabrugam XV. Calend. Octobr. ibique substiterunt ad IV. Calend. Novembr. Ego quoque omne id tempus transegi. Quæ cum Cæsareanis pacta essent, quoque deinceps inter Gallos & Svecos acta, religiosissimo utrinque silentio diu tectum fuit: Tandem patuit, præter Episcopatus Metensem, Tullensem, Virodunensem, jura item ad Imperium in Mojenvico & Pinarolo spectantia, Alsatiam quatenus Austriacæ ditionis est, ac Sungoviam, decem Civitatum in Alsatia sitarum Præfecturam, & in altera Rheni ripa Brisacum, præterea jus Philipsburgi præsidium habendi, Gallis in perpetuum cedi, eam cessionem Imperii Ordines ratam habituros, Cæsar promittit; Benfeldæ, Tabernarum, Barri & Neoburgi munitiones disjiciuntur, nova & veterem morem supergressa vectigalia abolentur; Revocantur omnes à BERNHARDO SAXONE aliisque factæ, confirmatæve largitiones. Reddunt Galli quatuor Civitates, quas Sylvaticas vocant, & si quid præterea cis vel ultra Rhenum bello captum tenent; Restituuntur utrinque deductis præsidiis, Oppida, Arces, Castella; FERDINANDO CAROLO Archi-Duci Rex exsolvit tricies centum millia librarum Turonensium; Expungendum præterea recipit bessellem omnis aris alieni ab Alsatia Principibus contracti. Hispanum & CAROLUM Lotharingum Pace comprehendendi insistent Cæsareani, Galli cum Hispano tractare non abnuunt; at Caroli causam ad Aulam Parisiensem remittunt; adjicitur clausula, omnia pro non dictis atque infecta haberi, nisi cum Svecis quoque & de Ordinum Imperii causâ pariter conveniatur.

Hæc summa capita sunt eorum, de quibus Cæsareani Gallique inter se trasegerunt. Negotii porro, quod iisdem Gallis Osnabrugæ fuit, uti quidem ex ipso Comite Oxenstirnio didici, hæc summa est; in initio eferebant Galli, quibus conditionibus cum Cæsareanis convenissent, suam in isto negotio moderationem Pacisque studium extollentes. Quippe cum plura victoriæ lege exposcendi arbitrium esset, Alsatia partem immenso pretio quasi emisse. Eandem moderationem Fœderatos quoque exhibituros sperare, maxime de tota Pomerania aliquantum cessuros; Et Mechelburgi Ducem in Vismariæ communionem admissuros. Eam in rem suum cum Cæsarianis, cumque Electore Brandenburgico tractandi studium & operam offerebant. Responsum à Svecis, gratulari se Regi Regnoque Gallia hunc rei exitum; Cæterum sibi Imperii causam propria Satisfactione potiorem, neque de hac unquam se pacturos, nisi de illa prius transigatur. Regerebant Galli eandem sibi quoque mentem esse, sed de re consentientibus nihil referre, quo ordine rem aggrediare; quin imo Regum cum Cæsare Tractatus ad exitum spectantes inciramento cæteris fore, ut & ipsi faciliores se mutuam præberant. Perstiterè tamen Sveci, unde belli causâ, inde fœderum & concordia initia faciendâ asserentes; proposuerunt deinde Galli inducias cum Cæsare & Bavaro; evidentissima harum partium commoda prætexentes. Nam

eas ita conciliari posse, ut quidquid Danubium inter Rhenumque terrarum situm est, fœderatorum Exercituum, ulterior ripa hostium hybernis cedat; Ita nostros in hostico uberrima rerum omnium copia abundaturos, dum hostis suas ipse Provincias, suosque subiectos consumeret vastaretque; addebant rationi necessitatem, qua Landgraviæ Cassellanæ, à GEORGIO Hassio & Melandro oppressæ suppetias ferre, revocato ex Bavaria Turenio, ex foedere tenerentur. Quanquam autem quo ista tenderent, majoremque eripiendi Bavari, quam Sociorum armorum curam, satis deprehenderent Sveci, tamen tam difficili incepto implicatis offendere socios intempetivum videbatur. Ideoque postquam flagitium cedere, & negare periculosum erat, ita temperata res fuit, ut ad Exercitus Duces properè scriberetur, eorumque de universa belli ratione consilium exquireretur. Postquam Monasterium redierunt Galli, atroci rumore diffamati fuisse Sveci omnibus ad concordiam inclinatis, solos bellum malle. Contra Gallos suis tantum utilitatibus fœderum Religionem æstimare, Imperii & Statuum incuriosos affirmabant, qui Svecis favebant. Neutrum fortasse falsò; quanquam Comes Oxenstiernius, tanquam defensionem meditatus, DEO teste advocato & in suum Caput Vindice, Svecos præter suam Protestantiumque salutem & securitatem nihil capere, mihi sanctè affirmavit; Gallorum finibus Ordinum Imperii dissidia conducere, suam contra salutem in eorundem concordia sitam; iturum cum Salvio cis tres hebdomadas Monasterium, constiturum mox toti Europæ, per Svecos non stare, quo minus Pax coalescat, quam DEO bene juvante intra proximas Calend. Martias habituri simus, aut nunquam: Eadem Casareanorum, eadem apud Gallos spes, nec abhorrent conjectura. Maximum in eo momentum, quod quorum vastissimi fines habebantur & belli anima, Galli concessis acquiescunt. Nec minus ponderis in renascente Batavorum cum Hispanis Tractatu, qui paulo ante senescere, aut verius plane extinctus videbatur. Unde dolor & questus & imputatio, Pacis prætextu extractam ab Hispanis ætatem quo desperatas res, quas armis non poterant, dolis fervarent; Sed ita denuò incaluit negotium, ut exitum Hispani jactent, Galli credant, & vix ipsi negare Batavi audeant. Horum cum Hispanis composita negotia, Gallorum quoque cum iisdem fœdera conficient: & jam nunc Batavi componendæ rei arbitros ac Interpretes offerre se videntur. Ista animorum inclinatione solos Svecos, ea qua sunt prudentia, non minus quam fortitudine, præter veteres æmulos, Danum, Polonum, Casaris quoque ac Hispani ferentia arma, & fortasse Belgarum & Hanseaticarum Civitatum, denique parum aberit, quin totius Europæ conjurata odia temerè in se concituros, quis credat, Præter illa, quæ superiori Epistola, si meministi, Svecis adversa dixi, aderit in vicinia propediem Brandenburgicus Elector, potentia, consilio, favore, Pomeraniam sibi propugnaturus. Post Cracovium à Polonia Rege olim huc missum, adventit nuper Dominicus quidam Rancallius, gente Italus, qui Haggæ in transitu, Svecorum potentiam Hollandis suspectam facere, & pro Commerciorum securitate haud obscure fœdera proponere jussus est. Verfatur in plurium manibus Oratio in Senatu in hunc sensum habita, & ab aliquot mensibus Ulfeldius pro Daniæ Rege ibidem degit, haud sane bona Svecis officia præstare creditus. Imperii Procures quanquam contentionibus pertinaciter inhereant, & ipsi Protestantes, postquam Saxonici Electoris jussu, consiliis præsidere ceperunt, novis altercationibus inter se digladiantur, tamen, qui litigantibus Casare & Regibus, sibi quoque idem licere putabant, inclinatis ad concordiam rebus, sibi itidem, ex pertinacia præter concatenatam malorum seriem nihil habituris, tempestive transigendum judicabunt, ne, qui hætenus belli causa & pars maxima audiebant, non nisi vilissima pacis appendix habeantur. Hassiæ Princeps, illa multis viris generosior fœmina, quamdiu fœderatorum intererit armatam esse, mutuis necessitatibus obstringens obstrictaque, Causæ suæ Patronis fociis utetur, non eundem habitura

bitura favorem & auctoritatem, ubi res ad Pacem undique spectabunt: neque enim idem magnis meritis in pace, ut in bello, locus. Operæ navatæ bellicæ pretium erit, non quale ipsa nunc sibi statuit, sed quod cæteri arbitrabuntur. En tibi, Illustrissime Scaliger, illorum, quæ superioribus diebus hic gesta sunt, schema. Quæ sequentur (si modo non abire necesse sit; nam & domum à Principibus meis revocor, & aliunde ad Aulam Parisiensem iter mihi injungitur) proximè perscribam. Unum adhuc omittendum non duxi, jam nunc anxia discussione inter plures agitari quæstionem, de qua ultimo Congressu Illustrissimus Oxenstiernius quoque multis disseruit, fatiusne sit, Alsatiam Gallia Regi omni feudi ac supremi Dominii nexu solutam, an talem concedere, quæ Imperatoris & Imperii Majestatem, ut cæteri Principes, agnoscat? Liberam & ab Imperii reliquo Corpore separatam ab Austriacis sibi obrusam Mesmius & Servientius, mihi aliisque sæpius affirmarunt: At cum Imperii Principis honore oneribusque maluisse, præ se ferebant Trevirensis & Saxo Electores, quibus plerosque ad stipulari video, istam cessionem, si quidem evitari nequeat, ita faciendam statuunt, ut quam minimum inde Imperii Juribus decedat. Quæ sententia his rationibus niti videtur:

1) Primum, cum Cæsar inaugurandus promittere soleat, nullam se Imperii Provinciam, alienaturum quin contra alienata revocaturum, Jurisjurandi religione attineri videtur, ne Alsatia alienatio plus, quam quod Austriaci habebant, transferat.

2) Quod ut conscientia tutius, ita coactæ abdicationis delinimentum aliquod erit, tanquam nihil Imperii Majestati pereat, quod solis Austriacorum damnis transigitur.

3) Deinde cum Galli Alsatiam ab Austriacis, tanquam belli authoribus (quo jure injuriave non dico) exigant, nullas adversus Imperium inimicitias professi, certe iniquissimum foret, Imperium pro illis belli veluti mulctam dependere: Quin potius suos teneat poena auctores, neque delinquentium personam egrediatur.

4) Porro honorificum Imperio & Principibus, tantæ dignationis Regem Civem atque collegam habere. Quam gloriosum, obscuratam ac prope emortuam Imperii Majestatem tanti splendoris accessione illuminari? Gallia Regem Imperii Germanici Principem ac membrum audire? Ejus Majestatem, ut cæteri, observare, obsequium & jurejurando spondere, publicis Legibus subijci, vocanti ad Comitia Imperatori parere. Circulorum, ut vocant, Synodis interesse debeat, de Bello de Pace deque communibus commodis in medium consulere. Ut tunc demum minimum vanum esse videatur, quod Imperator quidam Regum Regem se gloriatus est. Et hoc fortasse consilio olim exteri Reges in Græcarum Civitatum album adscripti, & superiori Seculo Ludovicus XI. Gallia Rex in Helvetiorum, ac HENRICUS III. in Venetam Civitatem adscripti fuerunt, denique Romulus plerosque populos eodem die hostes, dein cives, habuit.

5) Neque gloriosum modò, sed & utile Imperio atque proficuum erit, tantarum opum tantæque potentia Principes publicis necessitatibus obstringere, ut aurum & opes suas inferant potius, quam separati habeant. Nostras reputabimus divitias, quibus ad usque sæculi stuporem exuberant Galli: amicam habebimus potentiam, quam hucusque adeò gravem experti sumus. Jam nunc grandem nummorum summam, qua fesso Imperio subveniatur, Cæsari offerunt, quamdiu à Turca metus erit, majorem cum instructo Exercitu daturi, ubi periculum; ex præfenti de futura liberalitate con-

jectura spesque capienda, non defuturos propriis, qui nunc aliena tam profuse juvant: & ubi affectus ac voluntas deerit; inviti obstringentur oneribus, quæ communi scito decreta erunt.

6) Præterea in eo præcipue sitam esse judicant Germanicæ libertatis salutem, ut potentia Austriaca intra moderationis limites contineatur, superinducto amulo, & ubi in cujusquam perniciem evagabitur, prompto vindicet. Fœderatorum armis post DEUM debent Germani portentosa illius magnitudinis imminutionem, debent restitutionem in eam fortunam, quam sibi eripi fœcordia passi fuerant. Sed non satis est, ad libertatem proclamasse, defensore opus est & custode, ut, quæ feliciter parata sunt, fortiter asserantur.

7) In Catholicis specialis ratio, nec alibi militans, quod eademum securissima Religionis tutela est, habere sui Corporis membrum, cujus potentiam amicitia Suevicæ fiducia elatis Protestantium spiritibus opponere possint. Videntur hæcenus integras Catholicorum vires, Austriacorum nondum attritas opes, Cesaris adhuc florentis minas contempsisse. Legibus, armis, jure, injuria pressi tamen resurgebant. Auxere spiritus pro libertate Germanicæ, & quod huic consequens ipsi credunt, pro sua Religionis incolumitate conjurata exterorum Regum arma. Hoc igitur consilii restat Catholicis, ut senescenti Austriacorum potentia recentem Gallorum substituant, Religionis fulcimentum & Hæreticorum cupidini obicem. Suam enim injuriam reputabit Gallus Alsatiæ Landgravius, quæ cuivis Catholico intabitur, ad quem vis Imperii motum properus aderit; temperamentum rebus turbatis, ac consilium: & ubi ista frustra erunt, vim pro remedio alaturus, impromptior haut dubie ad aliena pericula, quæ ex Regno suo sui securus prospiciet.

8) Postremo nisi ea ratio ineatur, quæ Imperii legibus & Iudiciis Gallia Regem subdat, impune erit, quicquid male sana cupiditas suaserit. Vicinos terminorum finiumque regundorum litibus exagitare, in alieno quæ volet, jura sibi arrogare, quæ in suo alii habent, inficiari, nova & superioribus temporibus inusitata vectigalia instituere. Creditorum Austriacorum in se translatas actiones variis cavillandi artibus, quarum ista Natio ad infamiam usque callentissima habetur, eludere. His & similibus disceptandis ubi forum & jus? quis Magistratus? quis Judex? quæ executio in externum nullis Imperii legibus, potestatibus aut iudiciis obnoxium? An statim ad bellum redibimus, & vix bene sopitam tempestatem denuo conciemus? Hæ rationes quanquam apud quosdam ponderis aliquid habere possint: mihi tamen in nulla re, quam in ista minus me unquam hæsitasse fatendum est: Adeo exiles debilesque mihi videntur, ut ne speciem quidem aliquam, nedum vim atque efficaciam ad persuadendum habeant. Contraque validæ & nervosæ, quæ Gallia Regem Imperii rebus procul habendum, Alsatiæque, si aliter fieri nequeat, à reliquo corpore abscindendam quam ut tanti Imperio periculi causa aut occasio evadat. Domus Austriacæ magnitudinem horremus. Ejus adhuc reverentia, umbraque terremur.

An vero hujus periculi, si quod superest, remedium credi debet majus periculum? pecunia, opes, Virorum, viriumque, idem, aut major apud Gallos paratus: & uno amne discretis (quanquam nunc ne discretis quidem) ingens composita turbandi facilitas. Neque velle dubitandum. Non contenti Rheno ambitionem terminare, in altera ripa, Brisacum & Philippi-burgum sibi olim armis nunc fœdere vindicant: pontem & portam rebus novandis. Nec turbare volentibus materia, occasio, prætextus deerit. Consurget

furget inter pares æmulatio, invidia: inde questus & lites, quæque alia turbamenta pacis; denique diversa sacra colentibus nusquam sincera fides, animorumque consensio: & semper Gallis in partibus: accitus nec ne, nihil intererit. Quippe Princeps Imperii nec jam peregrinitatis odio prægravatus, Imperii rebus veluti suo jure miscebitur, Religio, bonum publicum, afflictorum tutela obtentui: at inter alienas discordias invalescere, & ad majorem semper grassari potentiam, interior cura & studium erit. Nec iam intra Principis conditionem & æqualitatem consistere volet; Regis nomen & opes majus aliquid requirunt: & Cæsareæ dignitatis fastigium nemini magis, quam sibi convenire arbitrabitur, ad quod arte, vi, armis enitetur. Ita nunquam non misera erit Germania, & magis alii Domini, quam alia conditio: Quæ Austriacis fervierat, Gallis serviet. Quamobrem ego non possum non vehementer probare Belgarum Fœderatorum sapientiam, qui amicitia Gallorum hæcenus feliciter usi, potentiam tamen exhorrent. Ideoque arma Gallica in tantum prævalere nolunt, ut Hispanum toto Belgio evolvant, præsentis sibi exitium à Gallica potentia, quam ab Hispanorum opibus existimantes. Nec mihi quisquam hic religionum differentiam objiciat. Est quidem ea ratio, quæ Catholicis favere videntur, ex adverso Protestantium securitati inimicissima. At non ideo nullis Catholici periculis expositi erunt. Nam certissimum est, nullos ambitioni limites, neque sacros, neque profanos obstare, omnia perrumpit, disjicit, calcatur, nec quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit, quin religionis & libertatis speciosa vocabula usurparet. Excepta fuerat olim & publice traducta: Ognatæ Comitæ Hispani apud Cæsarem Oratoris vox *æque longiores Germania Episcoporum togas, eoque refecandas esse.* An alios sensus esse Gallorum putamus? apud quos Rex Episcopos facit: & de Ecclesiarum bonis prope eadem, qua de suis libertate disponit, quorum haud exigua pars profanissimorum horum aulae asseclarum, perditissimo luxui infervit. Brevis Galli ambitionis ingenio impulsus, occasione incitati, prosperitate superiorum temporum allecti omnibus augendæ potentiæ adminiculis instructi modestiæ nunquam litabunt. Non adderem peculiaris in familiari cum (ipsum mihi retulit) colloquio nuper usurpatam rationem, nisi illa Austriacorum secretiores fines proderet; ideo liberam & ab Imperii Juribus solutam Gallis tradi Alsatiam, ut si quando armis eam repetent Austriaci, non cum Imperii Principe, cui cæteri opem atque auxilium ferre ex lege publica teneantur, sed tanquam cum extero congreantur: Quod num bonæ fidei congruat, aliorum judicio relinquo. Cæterum non hæsitò concludere, satius esse ex antiqua repudiî formula, Gallo renunciare: Conditione tua non utor: tuam tibi habeto Alsatiam. Hoc pluribus expedit, Austriacis, Protestantibus, & rem si exacte perpendimus, etiam Catholicis. Nam quæ in contrarium supra allata, profecto nullius momenti sunt: jusjurandum Cæsaris & dedecus alienatæ provinciæ, necessitate excusantur: quæ sæpe navigia jactu exonerat, & ruinis incendia opprimit, & multa sunt ejusmodi, quæ solum habent ex dono remedium, denique parva in eo cura, si Imperii extrema dehonestentur. Gloriosum esse non potest, quod cum tanto periculo junctum est: & securitas inanibus potior habenda. Arcana Imperii in Comitibus & alibi Gallo prodi, non est è re Germanica. Neque liberalitas est, quod Cæsari & Austriacis in futurum subire quis coget. Tantum abest, libertatis in hoc consilio custodiam esse, ut acrius servitium imminet Catholicis æque ac Protestantibus. Pacem cum Vicinis mutuis metus & retinendæ Alsatia studium conciliabit, nec æquum, unius Provinciæ curam totius Imperii salute potiorem esse. Quæ mihi quidem exploratissima habentur: an & tibi? rescribe quæso, & vale. Monasterii Prid. Cal. Octob. MDCLXVI.

EPISTOLA IV.

IOANNI FRISCHMANNO VIRO AMPLISSIMO COLLEGÆ MEO S. P. D.

Nisi Juno mea cum tua Venere Lucinæ sacris operata, certiori auspicio hoc est validioribus nixa argumentis tibi prolem, quam ego Pacem, prædixi. Profecto non adhuc in vado res est: & utraque spes decollare poterit. Vidisti ex plerisque meis literis, quam testitudineo gradu procedat hoc pacificationis negotium. Quanquam ferenda esset mora, quæ modo certa conficiendæ tandem rei spe se interea sustentare posset. Ego semper in conventionione Gallorum cum Cæsare, plurimum momenti esse ad reliqua perficienda iudicavi. Ex ea nihil adhuc mutatum. Maneat, quæ simul placuerunt; Batavorum cum Hispanis & horum cum Gallis concordiam, ut nuper ex Volmari ore scripsi, pro confecta habent Cæsarei; sed ut verum fatear, valde vereor, ne nimia credulitate sibi ipsis imponent. Comperit enim, Suecos paci adversos, bellum malle. Galli firmandæ sibi Alfatæ pacem necessariam non ignorant. Suecorum præterea potentiam suspectam habentes & vix ultra ferentes arrogantem & imperiosam societatem, pace exarmandam ipsi iudicant. At retrahunt splendidi & pene portentosi, felicitum armorum successus & majorum spes, & nunquam reditura Belgii occupandi occasio. Certe redintegrata in Galliis tributorum acerbitas, & nihil non hic tentatum, ne Batavi cum Hispanis transigant, Pacis argumenta non sunt.

Tetrastichon in Gallos quod misisti, suo sale placuit. Et nescias in hoc Deorum Concilio etiam Musis locum esse, sed procacibus illis, petulantibus, inverecundis; en hexastichon ejusmodi argumenti, pari licentia à quodam è Hispaniensi factione scriptum, redhostio:

Gallia vult Pacem: turbas tamen undique & arma
 Fœdera que in bellum continuanda ciet.
 Gallia vult Pacem: litesque ex lite recudit,
 Hoc est in media quarere nocte diem.
 Gallia vult Pacem: sed bellis implicat Orbem.
 Gallia da Pacem, vel dare velle nega.

Vale & me ama. Monasterii Cal. Decemb. Anno Chr. MDC XLVI.

EPISTOLA V.

SCIPIONI SCALIGERO EQUI TI S. P. D.

Postquam ita jubes, Illustrissime Scaliger, pertexam, quam orsus sum, telam,
 Et parere decet iussis, & grata jubentur.

Ex superioribus meis intellexisti, Cæsareanis cum Gallis convenisse, & Belgarum Fœderatorum cum Hispano negotium pro confecto haberi. Restabat igitur ad Pacis complementum, ut & Suecis satisfieret, & Imperii Ordines licibus finem imponerent, & Hispani cum Gallis transigerent. Nam ad hos tres articulos reducere soleo, quæ adhuc componenda supersunt, sepositis, quæ Carolum Lotharingum, Hassiæ Landgravium aliosque minorum gentium Deos concernunt, ut quæ sola Paci obstare nequeant. Fuere tria ista capita primum aggressis ardua variisque difficultatum nexibus prope in-
 acces-

accessa, dein sentibus impedita & tractatu aspera: nec quicquam adhuc ad exitum spem promorum est, nisi quod audemus nondum desperare. Accedit Batavorum cum Hispanis pacificationi, quam confectam putabamus, injecta remora. Quæ cuncta nunc mihi exequenda video. Suecos æquas pacis leges subituros, tam religiosæ contestationes & sparsa solerti fama mandata à Regina moderationis plena ac liberam concludendorum Tractatum potestatem accepisse, persuadebant: sed præcipuè maligna æmulorum studia & si res verterent, formido; expectabantur Legati Suecici in hac urbe eò impatientius, quo majorem omnes ponendorum odiorum finiendique belli spem conceperant. Præcessit Oxenstiernium Salvius, 23. Octob. urbem ingressus. Sed statim constitit, præcipitis diligentia causam fuisse, Batavorum cum Hispanis ad metam currentia Fœdera sufflaminare, usque dum Sueci sua cum Cæsareanis promovissent. In quam rem Galli quoque operam suam haud inviti contulerunt. Subsecutus Collegam & Oxenstiernius 4. Novemb. magna omnium spe finiendæ rei, in qua tantum temporis laborum & impensarum insumptum fuisset. Eodem tempore utriusque Religionis Ordines, cum omni commercio diu abstinuissent, hortante Trautmansdorffio, alacribus, ut videbatur, animis & propensis in pacem studiis, ad intermissa negotia redierunt. Et quoniam mutuis libellorum concertationibus nihil profici apparebat, per delectos ab utraque parte colloquiis rem tentari placuit; sed statim omnia turbata, Oxenstiernius æmulatione incensus, quod Ordinum controversias, quarum arbitrium Suecis delatum dicebat, ab alii tractari, eamque causam Osnabrugâ, ubi ipse regnum tenet, Monasterium transferri videret, indignationem minimè celans, Osnabrugam se confestim rediturum minabatur. Et quanquam à Cæsareanis, à Gallis, Protestantibus, ut aliquot dies Monasterii subsisteret, rogari sustinisset, & tandem precibus annuise videretur; tamen septimo, postquam advenerat, die, aperta media nocte urbis porta, qua Osnabrugam itur, se proripuit: nunciis postea ad Salvium missis, quibus ipse quoque reditum urgebat. Offendit arrogantia non Suecorum modo hostes, sed Fœderatos quoque & amicos, qui inde sinisterius de illorum hostiliis opinari ceperunt; Eo recidisse Imperii Ordinum res, ut si facere pacem possint, per Suecos non audeant; has esse asseverationes, solum Germaniæ libertatem suis armis quæri, ambitiose profitentium? Quid enim interesse, ipsi inter se dissidentes sine conciliatore eoriant, an aliorum interventu? Osnabrugæ an Monasterii? Nimirum non Germanorum causam verè agi, sed postquam Batavorum cum Hispanis, & eum iisdem, Gallorum & horum cum Cæsare concurrentes in pacem divertere nequeant, Ordinum saltem dissensiones foveri, prætextui futuras bello continuando, & Bavariæ, Bohemiæ, Silesiæ, aliisque Germaniæ Provinciis porro deprædandis. Difficillimum scilicet esse moderari fortunæ tam prodigiosa benignitate aspiranti, & stultitiæ proximum videri, sponte omittere tam opulentos victoriæ fructus. Sed frustra verebatur Oxenstiernius, quæ non eventura erant, etsi ipse consensisset. Nunquam infensus inter Ordinum delectos decertatum, nunquam magis contraria studia viguerunt in diversa intendentium: statimque ommissa spes, & utrisque inter se componendæ rei desperatione necessarium visum est, eam Trautmansdorffio & Salvio deferre. Qui petentibus prolixè operam & studium detulerunt, sed utrique credo interior cura fuit, de Suecorum Satisfactione transigere. Salvio, quia hoc præcipuè quærebatur, & Trautmansdorffio, qui nunquam non credebat, posse Gallos Suecosque præmiorum magnitudine ad prodendam sociorum causam invitari. Exhibuerunt igitur Sueci Cæsareanis 8. Novemb. Postulata sua, quorum summa est Citerior Pomerania & Rugia ac Wollina Insulæ, cum Episcopatu Caminiensi, Damma, & quicquid cis Oderam situm ad Ulterio-rem Pomeraniam pertinet. Præterea in illa Pomeraniæ parte, quæ Brandenburgico restituetur, jus succedendi, ubi familia Brandenburgica defecerit, & interea compensatio. Hæc ex Pomerania. Ex Mechlenburgensiditione

Civitatem portumque Wismariensem, cum duabus Præfecturis & Munimento quod à cete nomen habet; ac præter hæc Archi-Episcopatum Bremensem & Episcopatum Verdensem sibi vindicant; petuntque veteribus Dominis, Brandenburgico Electori, Friderico Holsato & Mechlenburgensi Duci reddi, quod æquum Cæsari videbitur. Responderunt biduo post Cæsareani, Suecis Citeriorem Pomeraniam, Rugiam, Bremensem & Verdensem ditionem (sed ea, qua nunc, Ecclesiastica conditione affectas) Wismariam cum portu & munitione; Electori Brandenburgico, Episcopatum Halberstadensem; Mechlenburgico Razeburgensem; nihil Holsatiæ Duci offerentes: cæteris quoque, quæ à Suecis petebantur, rejectis; Cavetur ultimo capite, ut si Electori & Mechlenburgico conditiones non placeant, bona cum gratia Cæsaris & Imperii, ac salva pace servare Suecis liceat, quicquid in utraque Pomerania & Mechlenburgensi Ducatu tenent. Quod majori prudentia à Cæsareis concessum, quam à Suecis petitum esse videtur. Nam acceptante Electore leges sibi dictas, pacem habebunt Austriaci alienis impensis comparatam. Præterea Suecorum ingenium, sui fiducia, aliorum contemptu prætumidum, ac duos una Provincia clausos Principes, & infociabilem potentiam reputantibus credere promptum est, haud duraturam concordiam; si vero rejiciat conditiones Elector, tamen interea pace, quam sibi pacifcent, Austriaci fruuntur, & ubi denuo bellum placebit (cui nunquam causæ derunt) jura sua Cæsari commodabit Elector. Ita vasro, & ut ita dicam ambidextro commento, ut cunquæ res ceciderit, novo in Suecos bello semina, & occasiones perstruuntur revocato veteris prudentiæ exemplo, quo Romani Armeniam, turbandis Barbarorum animis, specie largitionis præbuerunt. Rescripserunt Sueci Osnabrugâ 25. Novemb. ad Legatos Gallicos, restitutionem Ulterioris Pomeraniæ cum Episcopatu Caminensi & Colbergâ, & quicquid præterea in ditione Brandenburgensi suis præfidiis tenent, promittentes; more ipsis vicissim in pecunia numerata (cujus summam scripto non expressam ad duo decies centum mille Thaleros redigebant) satisfieret. Igitur placuit Cæsareanis & Gallis mittere, qui Electori Suecorum leges & parendi necessitatem denunciarent. Ii tuerunt Plettenbergius & Sanctus Romanus, Barones, qui ante hoc quadriduum Hagam Comitum, ubi Elector apud Principem Arausionensem & sponsam Aloysiam hospitatur, abierunt. Quæ referent responâ, scribam, cum primum intellexero.

Dum hæc Cæsareos inter & Suecos præcipuo studio geruntur, de Statuum quoque controversiis colloquium inter Trautmannsdorffium & Salvium, cui aliquot à Statibus delecti intererant, ceptum est; bis tentata concordia via, irrito conatu & desperato successu, nihil à Catholicis ultra priora concessum: ad verba Trautmannsdorffii, imperiosa, dictatoria, tanquam victis leges diceret, & ad Danubium in Bohemia ubique triumpharet Cæsar, tacente plerumque Salvio, aut rigide contradicente. Quæ res præcipue Protestantes exterruit, magnifica Suecorum promissa & prope unicum spem suam evanescere cernentes. Metusne & sollicita presentium futuri que reputatio, an propriarum ratio utilitatum, an utrumque subitum istud gelu pectoribus Suecorum injecerint, ut quisque volet, credat. Non deerant, qui Gallicas artes suspectabant, aliaque à prioribus, consilia deprehendere sibi videbantur. Hactenus Austriacæ potentiæ, cui Catholicorum opus subservire sciebant, Suecorum & Protestantium fortunas opposuisse; At ex quo Suecos à minus quam mediocribus initiis ad maximam potentiam summamque auctoritatem conscendisse, & Protestantium res, postquam pace reffloruerint, per se satis validas, ubi cum Suecis coalescent, sibi quoque & in universum Catholicæ rei formidulosas, vident: vereri, ne suo sibi jumento malum arcessant, foveantque potentiam in suam aliquando perniciem prorupturam; Ex diverso credere

dere satis attenuatas Austriacorum vires, nec sibi ultra metuendas; ita metum metu pelli, apud credentes, majus sibi & Religioni periculum à futura Svecorum & Sociorum Protestantium magnitudine, quam à præfenti Cæsaris & Austriacorum fortuna imminere; Inde Cæsareis conventorum constantia fiduciam, Catholicis occultis suggestionibus audaciam, Svecis & Protestantibus pacis necessitatem in gerendo formidinem injicere. Confirmabat hanc opinionem, quod in nupero cum Gallicis Legatis colloquio, Cæsaris ipse liberalitatem restringi; Pacificationis Pragensis capita, quæ Protestantibus favent, cavillationibus eludi; Duci Württembergico transactionem cum Cæsare, eidem aliisque usurpata post Tractatum Passaviensem Bona Ecclesiastica, quæque alia vetera novis pactis aut legibus abolita, objici animadverti. Sed vanas male solertium hominum conjecturas & candorem Gallorum monstraverunt, quæ secuta sunt. Manent, quæ cum Cæsareanis pepigerunt; Svecorum commoda non minus quam sua propellunt: Ipsi Statibus Imperii ponendis diffidiis assidui hortatores sunt: & constat, paucos ante dies Longævillæ Ducem Episcopo Osnabrugensi, qui præcipuus Catholicæ factionis incentor habetur, imprudentiam & pertinaciam exprobrasse. Eisdem de Republica sensus in Serventio noscas. Solus Memmius fortasse, purpurei galeri, quem ambire dicitur, & demerendi Pontificis studio, Protestantibus iniquior habetur. Et hic erat, qui illis, quos dixi, sermonibus usus fuerat; postquam Trautmannsdorffii colloquio cum Salvio nihil profectum. Catholici 21. Novembr. novas condiciones scripto proposuerunt, quas quia typis impressæ publicè extant & ad vos perlatas non dubito, hic non expono, videntur sane multum prioribus mitiores: & vix est, ut tam parvo distantes non coëant. Quod ut promptius fieret, omnes Protestantium Legati Osnabrugam se contulerunt de responso deliberaturi, ubi adhuc degunt. Tractatus Hispanicus cum Gallis initio tantis involutus difficultatibus videbatur, ut pro conclamato à plerisque haberetur. Verum tam egregia Batavorum opera tamque indefessum fuit studium in lævigando adeo scabeoso negotio, ut aliquamdiu summam de rei exitu spem nobis fecerint, quibus Actorum interior notitia contigit. Sed denuo novis impactum scopulis rupturam minatur, vel, ut dicam quod res est, plane ab exitu Tractatus Batavici pender. Nimirum ad pacem inclinantes Gallos retrahit fortunæ obsequium, & difficilis illius moderatio, & haud incerta toto Belgio Hispanico potiundi spes; ut minime dubium sit, si Imperii Germanici causam ab Hispanicis rationibus commodisque unquam separari contingeret, pacem cum Cæsare, bellum Hispanicæ Regi facturos. Ad cujus belli societatem Batavos consilio, hortatu, promissis & omni arte attrahere nituntur. Rediere tres Legati ex Conventu Hageni 28. Novembr. & pacem sibi omnibus probatam mox signandam publicandamque nemo non credebat. Postquam igitur Galli Provinciarum decretum retractari, inclinatosque ad pacem animos fisci non posse animadvertent, egregiam artem commenti sunt, quâ oblique retardarent (usuri deinde temporis beneficio) quæ convellere non poterant. Ajunt, Hispanos rerum suarum necessitatibus coactos ad pacem descendere; resumpturos arma, ubi vel suis viribus fident, vel Galliam Belgiumve intestino aliquo motu concussum bello patere putabunt. Igitur adversus infidam pacem præsidium in tempore parandum; federe inter utrumque populum, adversus hostem alterius aut utriusque tranquillitatem aliquando laceßere aufurum, pacto. Non denuunt Batavi fedus bellicæ societatem, ubi Hispani in Gallia aut Belgio arma moverint; Verum ad Catalaunorum causam sustinendam & cæteris in Hispaniis & Italia possessa Gallis tuenda, Rempublicam Batavam obstringi non posse; id neque rebus suis conducere, nec æquum videri. Constans rumor est, præter hanc injectam negotio moram, acrius Gallos Hollandorum modestiam aggredi: oblati Dunckerka, Gravelinga, Cortrico, & postquam Hispano eripientur, Antvverpia & Lovania: Præmiorum magnitudine pacis cupidinem vincere, & præsentium utilita-

rum splendore à futuri periculi contemplatione avertere animos cupiunt. Dum hæc scribo, nunciatur mihi, Servientium perendie Hagam abiturum, qui omnem sine dubio movebit lapidem, ut composita turbentur. At si sapiunt, ea sibi donari intelligent Batavi, quæ precario possidentibus, quando volent, eripient Galli; alteri validiorum societate minores: & nunquam se cure teneri partem rei, cujus alteram potentior tenet. Vale Monasterii 8. Decembr. 1646.

EPISTOLA V.

SCIPIONI SCALIGERO EQUIITI S.P.D.

Omnia in pejus ruere videntur. Pacem aut nullam habebimus, aut nec tutam facis & honestam, cum nihil non tentassent Hispani, ut post Legatorum Hollandicorum regressum, ad exitum perducerent quæ utrinque placuerant: tamen contra nitentibus incredibili studio & violenta quadam importunitate Gallis, eo res recidit, ut Batavi Hispanis tandem denunciarent, non se posse conventa signare, nisi cum Gallis eodem tempore pax fiat. Et ferebantur eodem tempore, præter jam concessa, etiam Geldriæ reliqua & Limburgi Ducatum sibi postulare: plerisque suspicantibus, peti ista nulla obtinendi spe, sed causam bello, & honestando novo cum Gallis fœderi. Hagam abiit Servientus, auro, promissis, & ejecto Hispano, minus periculi plus potentiæ ostentando, constantiam Belgarum expugnaturus. Præter illos, quos superiori Epistola arietes admoveri dixi, fama est, id quoque Gallos proposuisse, ut quicquid Belgium Fœderatum inter & Galliam provinciarum jacet, Fœderatorum armis quæsitum, Carolo Lotharingo tradatur; amovendis suspitionibus simul, ut isto pretio Lotharingum Galli sine æmulo & invidia retineant. Interea Hispanorum quoque cum Gallis colloquia frequentantur, speciosa pacis jactatione, nullo effectu. Quidquid Hispaniæ Regi armis suis ablatum in Belgio, Hispania, Italia, id omne sibi deposcunt Galli: Civitates præterea, Leodiensis olim ditionis, Philippolim, Caroli montem, Mariæburgum; totam Arresiam, Aira Bassea, & S. Andomari oppido exceptis, Siricum & Longovicum Luxemburgi, Polimum, Lugdunum & Juxium Burgundiæ oppida: Espinoji, Burnonvillji, aliorumque in Belgio Procerum, qui Gallicas partes juvissent fovissentve, restitutionem: & alia minoris momenti. Concedunt Hispani, quicquid Galliæ Rex ubivis terrarum extra Italiam tenet, loca omnia ad Allobroges spectantia restituunt, ea conditione, ut Galli Casalam cæteraque Mantuani juris reddant. Gallicæ factionis in Belgio Proceres, famæ, bonis, dignitatibus restituunt. Catalaunis XXX annorum inducias largiuntur. Lusitaniam nullam fieri mentionem audio: fortasse utriusque omisisse curam ejus videri volunt, quanquam Hispanicæ magnitudinis æmulum sustinere, & Batavica Pacis bellum Lusitanicum substituere Galli cupiant; Hispanis, modo aperto cum Gallis Batavisque bello liberentur, viros armorumque apud solos Lusitanos facere certamen non abnuentibus. Protestantium Legati Osabruga degunt, haud sanè magno profectu. De liberatum est de responso Catholicis dando; sed eo successu, ut infelici quorundam diligentia tricarum nodorum que nexendorum neque modus neque finis appareat. Quo accedit, quod Sveci aperte testati sunt, agre laturos, si concordia Ordinum ipsorum Satisfactionem præterverisset. Misera omnino, ne dicam pudenda conditio, non nisi alieno arbitrio pacem aut bellum habere licere? Fuerunt Plettenbergius & Sanctus Romanus apud Electorem Brandenburgicum, quorum hic, Gallorum nomine, loco Halberstadiensis Episcopatus à Cæsarianis in relictæ Pomeraniæ compensationem oblato, spem post Administratores Saxoniam mortem in Archi-Episcopatum Magdebur-

burgensem succedendi proposuit; additis conditionibus, ut Svecis duodecies 100000 & Hassia Landgravia 300000. Thaleri ab Electore exsolvantur: Croffenensi præterea in Silesia Ducatu, Bohemiarum Regi tradito. Eodem tempore Osnabrugæ Svecis à quibusdam, in Pomerania vicem, Osnabrugensis & Mindensis Episcopatus, Comitatus Schaumburgensis, Hoyensis & Diepholdensis propositi, haud sane multum adversante initio Oxenstiernio, (an ita videri volebat) quanquam Salvius acerrime contradiceret. Iniqua, absurda fallendis ludendisque hominibus reperta. Tandem supervenit ex Svecia, quod dubitationem eximeret, novum à Regina & Senatu mandatum, nullas alias condiciones, solam Pomeraniam acciperent, Brandenburgicus consentiret, necne, parum referre. Pullabantur interea Cæsarei & separatim Electorum Principumque Legati, Brandenburgici, Friderici Holfati, Archiepiscopi Bremensis & Mechlenburgici Ducis epistolis nunciisque, conquirentium, iniquum plane esse, bellicum Cæsare & Austriacis gesti pœnam & impendia alios luere, victoria præmia, spoliis instar, iis detrahi, pro quorum salute, libertate, restitutione arma sumpsisse professi fuerint Sveci: ab amicis exigi, quæ haud rarò inimicis remittere soleat generosi victoris indulgentia: Violari cognati cum Brandenburgico sanguinis reverentiam: corrumpti reductorum ab exilio Mechlenburgensium gloriam; Fridericum Holfatum à Sveciarum Regina pro Archiepiscopo Bremense perpetuò agniti, congratulatione ipsius Salyii ministerio honoratum, addita libertate, ut sibi neutrarum partium esset felicitas; tamen ante hos tres annos, nulla sua culpa, nulla prævia belli denunciatione, à Königsmarckio ditione perturbatum, tandem superioris anni pacificatione inter Danos & Svecos, restitutionis spe facta, sine perfidia nota Episcopatu privari non posse; Esse præterea hætenus inauditum & rem sine exemplo, unius Cæsaris arbitrio & nutu tanta perpetrari; primum horum Comitiorum laborem fuisse, Jus Belli Pacisque & indicendorum Tributorum, aliaque minora Cæsari usurpata eripere, cuncta in irritum casura, si Eidem de innocuorum Principum fortunis ditionibusque statuendi facultas concedatur. Nam quæ de adhibendo Ordinum consensu adduntur, vana esse, quasi vero his plus liceat quam Cæsari: & non eadem injustitia sit, aliena largiri & largitioni consensum accommodare: porro ista, quanto majori libertatis specie reguntur, tanto infensus servitium arguere: quia Cæsar nisi potentia suæ & aliena patientia securus, hæc non permitteret. Verum non ibi consistere exempla, ubi incipiunt: & quæ constantius in Principem Electorem, violentius in alios eruptura. Morem aliquando fore, quod hodie novum est, & quod nemo nunc exemplis tuetur, olim inter exempla futurum: Postremo durare non posse pacem, quæ tot immeritorum Principum damnis sanciat; majori his flagitio, quam Friderico Palatino, provincias eripi, & tamen facti, quod nemo laudabat, improbatam pœnam in belli tam funesti, tamque diuturni aut causam aut prætextum evaluisse. Quanquam fortasse id vel maxime optare, quibus disjungere fœderatos, exarmare Svecos, & præsentis bello defungi una cura; Cæterum omne novum diffidium in voto & lucro futurum sit. Sed non intererat Cæsareanorum, quid quisque diceret aut quereretur. Statim ut à - - -, quæ à Regina Collegæ ipsius accepissent mandata, comperuerunt, Osnabrugam Volmarus, & nudius tertius Trautmannsdorffius abierunt, suo cuncta arbitrio facturi. Quid magis miremur, Illustrissime Scaliger, Injustitiam, non sua largientium? an audaciam, illorum ad sensum tam secure promittentium? frontem, ista admittentium? an Ordinum Imperii ignaviam ad ista conniventium? Vale. Monaster. Cal. Jan. 1630. cxi. vii.

Cum in epistola obſignanda eſſem, ex diverſis urbis locis rumor ad aures meas elapſus eſt, præcedenti nocte Hiſpanos & Batavos pacificationis tabulas utrinque ſubſignaffe. Conveni ſtatim omnes, unde mihi certioſorem rei notiã promittere poteram. Quæ comperi, iſta ſunt: antequam Servientus hinc abiret, Gallos à Batavis ſtipulatos, ne ante illius Hagam adventum & coeptam cum Statibus negotia quicquam hic cum Hiſpanis perageretur: Batavos X dierum ſpatium & velut inducias promiſiſſe. Interea Status, quibus fortaſſe Servienti iter, ut placitis ſemel conſiliis adverſum, ingratum erat, Legatis mandaffe, ſinem accelerarent: quo adveniẽti confectam rem, neque mutari poſſe, cauſari poſſent; id factum ſtatim ut decendium expiravit. Quinquam autem adhuc excuſent iſta Legati, neque rata fore, ni cum Gallis quoque cuncta compoſita eſſent, tamen hos iniquiſſime rem ferre, & aculeato ſcripto, quod nondum mihi videre contigit, injuriam ultos eſſe: adeo brevibus momentis ſumma verti poſſunt. Hactenus iſta didici, proxime reliqua ſcies. IV. Non. Jan.

EPISTOLA VII.

ILLVSTRI VIRO DOMINO SCHERINGO ROSENHAN, OSTRO-GOTHIS à REGINA PRÆFECTO S. P. D.

Niſi voluntas tua cunctis rationibus mihi porior eſſet, haberem ſane non leves, quibus onus, quod per *Ludolphum*, Secretarium tuum, mihi impoſuiſti, ame eijcerem, ingenii vim tanto negotio imparẽ, pericula ex veritate, & alia ejusdem ponderis. Verum cum nihil, tui cauſa ſuſcipiam non, in quo voluntas aut vires deficiant; facile quoque credidi, nulla affectione, & ſola officii atque obſequii cura factum, offenſa caritutum apud te præcipui operis authorem exactoremque, apud quem ſentire quæ velis, & quæ ſentias, incorrupta libertate dicere liceat. Tria ſunt ex quibus unum Svecis eligendum hoc rerum articulo videtur, *Bellum*, *Armata Pax* cum pretio, quod *Cæſar* offert, contradicentibus, quorum intereſt, aut denique *eadem Pax*, ſed *mitis* illa, juſtis utrinque conditionibus compoſita, quæque ſibi atque aliis placeat, amicitia mutuiſque utilitatibus magis, quam metu duratura. Plurimi opinantur, Illuſtris Domine, vos prodigioſa armorum felicitate & fatorum favore ſecuros, arma, quam pacem malle; ideoque immodica petere, nulla obtinendi ſpe, ſed cauſam bello. Quod mihi prudentiam veſtram non minus quam virtutem & fortitudinem reputanti, verosimile non fit. Non dubito vero præcipuam divini Numinis & conſcientiæ curam eſſe. Cum itaque bellum, ut plurimum, nocentes ab innocuis non diſtinguat, neque per rerum naturam fieri poſſit, ut res noxia ſine damno aut clade illorum quoque, quorum nullum peccatum, nullaque culpa eſt, geri queat, conſequens utique eſt, ut quicunque naturæ, aut quod longe ſanctius atque divinius eſt, Chriſti legibus ſubditos ſe proſitentur, non niſi inevitabili neceſſitate coacti bellum ſuſcipiant, ingemiſcant malis, quæ dolentes patrant, & armorum ponendorum animum habeant, ut primum tuto & honeſte licebit. Nolo repetere, qua tot annorum bellæ, licentia, avaritia, crudelitate peccare poterunt; ſed quæ paucis ab hinc menſibus in Algovia & Superiori Svevia nullo Religionum diſcrimine, impotenter ac ſæve geſta ſunt in eos, qui Svecos, tanquam tutelares Deos & libertatis aſſertores exſpectabant, exitioſiſſimam

fissimam famæ vestræ opinionem adaspererunt. Dei causam per ludibrium armis obtendi, & nihil non potius, quam Religionem & libertatem tam impio bello quæri, ab iis, qui amicorum æque ac hostium calamitas summum bonum ducant, terrori esse mortalibus. Nemini quidem factorum ordinem decretaque introspectendi potestas contingit, sed si iustis aut se-cus factis sua præmia pœnasque Nemesis statuit, profecto valde verendum est, ne non ista facinora iram, quam favorem Sanctissimi Numinis provocaverint. Nihil est, Illustris Domine, quod post Magni Gustavi mortem metuere non debeamus; Eripuerant fata Regem in maximarum rerum spem vix ostensum Orbi: Regem Pium, Regem clementia non minus, quam fortitudine & prudentia incomparabilem; Regem denique, ut uno verbo dicam, virtuti simillimum. Et quidni eadem fata, quæ Regem destituerunt sanctissima bella gerentem, destituere audeant arma multum a prima innocentia deflexa! Sed omitamus istam militaribus animis ingrati philosophiam, & ad argumenta transeamus magis popularia, quorum non ultimum est metus à Turcica rabie. Etsi commune non esset periculum, & Jesu Christi sanguis & Christianorum tessera, Charitas, Veneis nos tam arcto tamque sancto vinculo minime ligaret; tamen adeo fortiter & constanter bellum sustinentibus, communi humanitatis & afflictæ sortis miseratione, opem ferre æquum fuerat. At nunc nostra quoque res agitur: Creta & Dalmatia bello quatiuntur, certo eventu, peritura. Inde terra marique Melitenfibus, Italia, Pannoniæ & mox Sarmatis ac Germanis tota potentiæ suæ mole incumbet hostis: & si iidem, qui semper mores erunt, dum singuli pugnabimus, universi vincemur. Proh fatales furias! Christiano nomini infensissimus hostis cædes, incendia, terrorem circumfert, & nos stertimus, in mutuam exitum intenti, nostraque ipsi viscera dilaniantes, depellere incubituram mox cervicibus nostris perniciem non vacat! per scelus & insaniam tot millium sanguinem fundimus, honestius è gloriofis vulneribus pro Deo, pro Religione, pro Patria exiturum.

Est quidem ad summum culmen evecta Svecorum potentia, validissimis exercitibus, fortissimis Ducibus, munitissimis per omnem Germaniam arcibus tuta. Vim vestram nemo non aut sentit, aut timet. Viam quoque tentastis; sedem Imperatoris magnificam & intutam, ideoque vestri metu, fugâ desertam. Hinc unam Nationum, totius Germaniæ odii & utriusque simul fortunæ parem futuram, haud paucos credere, multos quoque jactare scio. At jurare aüssim, aliter sentire sapientissimos Sveciæ vestra Proceres, & Magnum Oxenstiernium. Bellando proferre fines, possibilibus est, quam servare: illis maxime populis, qui supplendis perpetuo copiis, mittendisque in devictas Provincia: coloniis, non sufficiunt. Evanuit illa historiis omnibus celebrata Gentium Vagina, Septentrio,

Terrarum fatale malum, fulmenque omnes
Percuteret pariter populos: & sydus iniquum
Gentibus.

Exaruit illa Genitalis vis, quæ populos patriis angustiis expulsos
alias sedes quærere cogebat. Exilior fons est, quam qui illa gentium natio-
numque

numque flumina : quæ Orbem terrarum olim inundabant, effundere possit. Valuerunt olim terrestri, maritimaque potentia, Carthago, Athenæ & Græcorum Urbium alia, dein Veneti, Genuenses, Pisani, quorum nulli longinqua diu tenuerunt; diffidiis domesticis, populari lue, aut magno prælio victi, tanquam aculeo adempto, externa omittere coacti.

Tum verò illos, qui Svecorum cuncta, ut portenta, mirantur, cogitare velim, non solos Cæsaris & Austriacorum, Bavarique & Catholicorum arma sustinuisse. Magnam illorum partem socii excederant, aut illi, quibus aliunde cum iisdem bellum erat, Galli, Batavi, Transylvanus : & Germani, quanquam afflicti, tamen ut vindictam & libertatem meditantés, tenebantur, & curam Cæsaris omnes, potentiam & vires Saxo, Brunovicensis, Hassi, alique diu distraxerunt. Non eadem rerum facies erit, cum hinc, quicumque bello lassum pacem volent, inde soli Sueci, libidine sanguinis & hiatu præmiorum bellum cupientes, consistent.

Nam ista quoque, quanquam maligna, quorundam opinio est, non ultra salutem, non Imperium, neque Gloriam; sed aurum & opes & prædam vobis quæri, quam calumniam nulla re promptius, quam positis armis, refutaveritis.

Exercituum Suecicorum minimam faciunt partem Sueci, & illi securi adversus Deos, securi adversus homines, Finni. Plerique Germani sunt, quæ ut nec odium sit, nec amor in partes, & militia sine affectu, sine iudicio, tamen pro Germanis cum Germaniæ amicis, hæcenus steterunt. At eosdem contra patriam in externa verba juraturos, non ultra milites sed proditores : id verò incognitum Germanis flagitium, nemo sperare debet. Horrebunt impia sacramenta, & fortitudinem Suecis præstitam, generosius patriæ commodabunt.

Præterea illud vobis, quod maximis quibusque Imperii contingit, vestra vobis magnitudo obstat, olim hostibus, nunc amicis quoque & federatis Gallis formidolosa. Murum terretis, timetisque. Nolunt illi serpentem ultra sinu fovere: & ut priorum federum reverentia impediantur, ne hostilia induant, tamen nec juvabunt amplius, quos nimium juvisse penitentes agnoscunt. Postremò habetis gloriæ vestræ veteres æmulos, & plerumque hostes, Danum, Polonum, Moscum; habetis novos omnes, ex quorum fortunis præmia laboribus, & pignora securitati vestræ fumuntur. Elector Brandenburgicus, Mechlenburgi Dux, Fridericus Hofatus, ut singuli movendis rebus inhabiles, ita, ubi socios indignationis & metus plures habebunt, juncti incipient, qui singuli non audent. Et qui hodie bellum Dani soli, aut soli Poloni recusant, conversis rebus, (ut nihil maximum simul est & æternum) aliorum conjurationi accedere non dubitabunt, insitâ mortalibus natura, prospera sequi potius, quam inchoare.

Transeo nunc ad secundum superioris partitionis membrum, quod *armatam Pacem* dixi, æque ac bellum, incertam, infidam, intutam. Militant in hac quoque acie, quæ superius allata sunt argumenta pleraque, sed alia quoque supersunt.

1) Taceo omisam pro Pomerania Silesiam, immerentes Principes pro belli concitoribus mulctatos, sanguinis erga Brandenburgium irreverentiam, corruptam reductorum ab exilio Mechlenburgensium gloriam, & quæ alia adversis rumoribus vulgo traducuntur. Illud me potius advertit, quod
istius-

istiusmodi Pace plus Austriacis, quam vobis aut Protestantibus quæri video.

2) Nam id solum, quantum sit, quod Cæsar de Principis Electoris bonis & fortunis statuendi sibi arbitrium sumat, vos accipitis; Imperii Ordines admittunt! Primum horum Comitiorum facinus fuit, evagantem extra legum morisque veteris limites Cæsaris auctoritatem cohibere, & male usurpata erigere. Quæ cuncta evertentur, si Svecis auctoribus, non jam de causis Principum pro Tribunali cognoscere, non indicere modò tributum, sed, quod omnem præteritorum temporum audaciam superat, sua Electori eripere aliquæ addicere liceat. Certe non ibi consistunt exempla, ubi incipiunt, sed periculosa contagione in minores transeunt. Mos aliquando erit, quod hodie novum est, & quod nemo nunc exemplis tuetur, olim inter exempla futurum est.

3) Deinde vobis armatis nec Cæsar arma ponet, quo rerum statu nullæ leges potentiam armis terribilem satis coercebunt, nulla pactis conventis fides, nulla securitas; eadem tributorum necessitas: eadem temporum hominumque infelicitas: nisi quod, qui unius olim, tunc duorum injurias experientur, & qui olim sibi hostes, postea in aliorum exitium concordēs erunt.

4) Neque postrema miseriarum pars erit, quod perpetuis implacabilium odiorum jactis feminibus, ejusdem Religionis, earundemque partium Principes collisi, postquam virtute expugnari non potuerunt, dolo & internis dissidiis succumbent.

5) Vobis præcipuè callidissima liberalitate odium, & mox exitium Cæsareani intentant. Pomeraniam & quæcunque alia, specie largitionis objiciunt, omnium inimicitias vobis conciliantes, quorum ista damnis consistant. Neque subiecti tam citò tamque facile veterum dominorum caritatem omitent, etiam ob crudelitatem aut avaritiam, dum patiebantur, graves invidiosque, postquam amiserunt, desiderare incipient: & qui florentem insolentiam perferre nolebant, afflictæ miserebuntur.

6) Archiepiscopatum Bremensem, extincto Sacrorum usu non modo, sed quod solum supererat, simulacro & memoria Ecclesiastica, conditione ac dignitate, Civitatem libertatis honore, Pomeranos antiquo jure & privilegiis exuere, inimicitias undique tanquam virtuti materiam quære, vim, metum, præsidia, tributa, postremo dominationem, nobilitati plebi que iuxta intolerandam meditari. Quæ cuncta quo evasura sint, tibi cogitandum relinquo. Vetus dictum est omnium sæcutorum experientia comprobatur, metum & terrorem infirma vincula caritatis esse, & qui metuere desierunt, odium incipere. Quies magis erit, malitiæ instar, malefida, quam securitas, & quædam potius induciæ, quam Pax. Nunquam firmiter tenebitis invitis erepta dominis, vicinis hostibus & infensis civibus possessa. Vi, dolo, conspirationibus, rebellionem, omnia scatebunt: & Imperium vestrum, ut Calani corium utcunque pressum, semper alibi subsiliet.

Postremo audeone tibi in aurem dicere, Serenissimam Reginam vestram, & vos ipsos morbis, in tam tenera & vix incipiente ætate, crebro recurrentibus, mortalitatis admoneri? Et aulam vestram procerum æmulatu & factionibus dissidere? Sed abominor dicere, quod cogitare horreo. Satis eventuum, satis casuum!

d

Ver.

Tertium partitionis membrum, *Aequa Pax*. Eo quoque gloria armorum & victoriarum decoribus progressi estis, ut vix ultra possitis. Novum & solum victoriæ genus deest, vos ipsos vincere: bella jure, non jura bello definire: iusticiam, prudentiam, quanto ignara militariibus animis, tanto laudabiliora capeffere: gloriosius putare, pacem sapientiâ firmasse, quam bellum per acies confecisse: sociorum, civumque charitatem omnibus munimentis anteferre: belli præmia non tam rapere, quam accipere: Brandenburgicum ceterosque Imperii Principes, præcipue vicinos, benevolentia magis, officiisque, quam vi obstringere: antiquis institutis, moribusque Veterem faciem formamque relinquere: Clementiam novis Imperiis utilem usurpare: metum apud hostes, caritatem apud subditos quærere: denique non dominationem & servos, sed rectorem & Cives cogitare. Vale *Illustris Rosenbane*, & libertati, quam injunxisti mihi, ignosce. *Osnabrugæ &c.*



Gründ-